



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Maurittii Gudeni Historia Erfurtensis Ab Vrbe Condita Ad Reductam

Gudenus, Johann Moritz von

Erfurti, 1675

XX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11903

minum accusatus. Magna cum Saxonis ministris familiaritas inquisitionem promovit. Subjectus quæstioni, se consilia de civitate Principibus Saxonis tradendâ aguisse fatetur. † Siftitur Electorali Judicio, quod secundum allegata in quatuor partes dissectandum pronunciat. Ductus † ad supplicium è monasterio Servitarum venerabilem Eucharistiam exponi sibi rogat, & per eam super innocentiam suâ jurat, confessionem tormentis, quibus illegitimè subjectus fuisset, imputat. Verum nihil his profecit, sed permessa brevi adoratione ulterius ad supplicii locum deductus est.

Necdum hostes infestare cives, & ruricolas desiêre, auxilium timorem Electoris Urielis obitus, † at mox Alberti felix electio animos restituit. Huic de Electorio sanguine novo Electori & Domino, Civitas verbosâ epistolâ gratulatur, † simul in tot adversis se protegi rogat: notiores esse calamitates suas, quam ut narrari debeant, sed Numen jam finem promittere, postquam in sancta Sede tantæ potestatis & prudentiæ Archiepiscopum locasset, gratulari se non tam Electori de Sede, quam matri, patriæ, sibi, de tanto Principe, atque huic omnia, quæ debeant, offerre, scilicet sanguinem, & bona Civium, Domini nutum expectare. Elector † obsequii promptitudinem laudat, facultates suas omnes pro incolu-

mi-

Condemnatur ad mortem.

Ejus de innocentia contestatio.

XX.

Moritur Elector Uriel & succedit Albertus Brandenburgicus.

Civitas Albertogratur.

Electori Responsum.

mitate, & protectione Urbis spondet. suos etiam Legatos Erfordiae novis mandatis, ut Civitati consulere, instruat. Ad hos primam litem, praeteriti quidam in hujus anni Senatu, cum tamen ante qui a quennium in recurrentis circuli Collegio fuissent, deferunt, multum de injuria conquesti: auditis utriusque partis allegationibus ex aequo res composita est. Ut verò tandem Urbs suae quieti restitueretur, Albertus omni industriam diffidiis internis mederi, atque externas calamitates amputare constituit. Litibus civium coercendis, rogante Senatu & populo, Edictum ꝑ de pace servanda sub capitalibus poenis promulgat, suoque Judicio severam istius sanctionis executionem injungit. Insuper Elector se necessitates externas amoliturum promittit, sed quid vicissim ꝑ obsequii Civitas praestaret? illa se, suaque omnia obtulit, cum omnia deberentur. Elector sponse generali non contentus, quid sibi debeat Civitas se non ignorare, loqui verò annales saepe minus praestitisse, quam debuerit. Exemplo sequelam, & servitia militaria esse, nihil civili societati naturalius, quam ut imperantes subditorum armis defendantur, & tamen id ipsum Bertholdo fuisse disputatum; idem se, quod antecessoribus contigit, expectare debere. Civitas ꝑ sequelam negare ulterius nititur, ac Moguntinis frequentia exempla, & inter ea illustrius

*Ejus Edictum
de pace servanda.*

*Obedientiam
urbis sollicitat.*

Hec sequelam negat.

illustrius Novesiense allegantibus, immunitatem à servitiis militaribus se magni ab ArchiEpiscopis emisse respondet. Illi de redemptione hac sibi nihil constare ajunt, cum tamen vetusta esse non posset, quia vix Patrum memoriâ Adolphum Electorem Novesium secuta sit, nec memoriâ tam labilis Moguntiam crederet, ut tanti momenti negotium paucis annis exciderit. Præterea titulum, in quo se fundat, editis instrumentis probaret; ArchiEpiscopum fidem antecessorum sanctam habiturum. Urbici Novesianam expeditionem imperii fuisse reponunt, quam sub Moguntia signis auxerint; nunc de Electoratus necessitatibus agi, num & has armis levigare teneantur; ab iis virtute majorum Civitatem exemptam, se ab avis accepisse, fidem Curiaë monumenta fulcire, quorum editio cum peteretur, Senatustotum Archivum versat, utque in multitudine solet, alter alterum sollicitat: adesse literas omnes audiverant, viderat nullus; cumque non perpendere, unum loquentem sexcentos auditores non testes efficere, literas amissas creditum est. Moguntinis ꝑ rei vanitatem exponentibus, tandem sequelæ, & militarium servitiorum promissionem civitates renovant, arma sua pro Electoratu, proque foederatis ejus fore. Eâ tamen fide literas istas perditas credebant, ut clausulam his concordatis annecterent, si

Melius edita promittit.

O

pri-

*Albertus se
venturum
nunciat.*

*Civitatis
apparatus.*

*Adventus
Mogunt.
Saxonibus
suspectus.*

*Desuper li-
tera Saxo-
num ad Se-
natum.*

privilegium ritè datum, in quo à servitiis
militaribus liberi pronunciati sint, inveni-
rent, ratum illud, istaque sponso nulla
esset. Acta hæc in die S. Adelarii, ac data
à Senatu, Quaternionibus, & Opificibus
fide confirmata sunt. Post hæc Albertus
† venturum se, atque solenni pompâ
Urbem introiturum Senatui scribit, face-
ret ille, quæ majorum exemplo deberet.
Civitas hoc nuncio læta ingentes appara-
tus instruit. † Zythopolæ cataphractas
suas, quas ex lege habent, expoliunt, o-
pifices thoracibus ferreis, & galeis arma-
ntur, ditiores cives equitatum adornant,
dividuntur in cohortes, & singulæ suis
vestimentorum coloribus distinctæ; in-
structa hospitia, victus & comeatus abun-
dè comportatus. Donaria insuper, quæ
in tesseram obsequii offerrent, compa-
rantur. Cuppa ingens argentea auro in-
ducta nummis Erfurtensibus replenda Ar-
chiEpiscopo, simul pallium purpureum
holosericum Zoblinis subductum præsen-
tari debebat. Subinde armorum lustra-
tio, & pompæ ordo in specimen futuri lu-
xus instituitur. Saxones † actum fore
de consiliis suis in Erfordiam, si Civita-
tem Elector ingrederetur, existimant;
Senatui delatum sibi scribunt, † Moguntinum
Electorem urbem ingressurum: dissimulare se adven-
tum posse cognati Principis, si more, ritusq; majorum
fiat. Venisse olim ArchiEpiscopos raro Comitatu,
non tam gladio, quam pædo munitos, sicq; Præsulent
à Civi-

à Civitate receptum. At Albertum, tantarum
 potentiarum Principem majora cogitare, nec sine ar-
 mata multitudine provinciam ingressurum, id esse,
 quod pati nolint, ac cum virium suarum, & opum
 jacturâ prohibere cogitent. Caveret Civitas, ne
 contemptis avorum institutis contrâ morem ArchiE-
 piscopum suspiciat, & hoc ausu non solum libertatem
 suam exponat, sed inter potentiores odia suscitet, non
 alio, quam excitantis sanguine placanda. Simi-
 lem † in sensum ast humanius Electori Alberto scripserunt. Hic de injuriâ que-
 ritur: † Non tam introitum suum in Erfordiam, *Eorundē li-
teræ ad Al-
bertum.*
 quam urbis quietem formidare Saxones, adventu suo
 promovendam: ut Civitas tædio rerum adversarum *Alberti re-
sponsum.*
 dejecta Saxonicum Dominatum subeat, hanc summam
 consiliorum esse. Quorsum antecessores objiciantur?
 illos Erfordiam ut suam urbem pro lubitu adivisse,
 suscepisse à civibus juramentum, & si quid ordinatio
 civilis defecerat, emendasse, sic, & non aliter se
 venturum. Inanis pompæ differentiam ipsi rei nihil
 addere: simplicem majorum ætatem humilibus con-
 tentam, nec se ab illorum frugalitate recessurum,
 nisi luxu parium, imò inferiorum, ad aliquem fastum
 cogeretur: Sed & antecessores usitatâ ætati suæ pom-
 pâ ac sæpius armatos venisse, proinde & se cum eo co-
 mitatu venturum, qui præsentis sæculi moribus conve-
 niat. Novus † dies adventui in vigilia
 S. Martini indicitur. Civitas omnem o-
 pem pro securitate introitus pollicetur,
 at Saxones † universam Thuringiam ar-
 mant, aditus obsident, pontes etiam su-
 per Onistrutam fluvium, si fortè Magde- *Saxones im-
pediunt.*
 O 2

*Novum diē
adventui di-
cit Elector.*

*Saxones im-
pediunt.*

burgo veniret, dejiciunt. Albertus ob rei difficultatem propositum distulit.

XXI.

Diversis animis pro varietate affectuum Electorem cives expectaverant; habebant enim suos in Urbe profugi, per quos factiones alerent, hi crebrius damna & pericula, quibus ob indignationem Saxonice Civitas subjaceret, occinunt: Unicum mali remedium amicitiam Principum fore, qui nisi receptis exulibus placari nequeant. Reciperentur ergo ad Urbem, & focos suos exules, ac simul incolumitati Civitas restitueretur. Persuasum per hæc multis, † ut & foris, & domi de placandis Saxonibus consilia haberentur. Ut primum hæc Moguntinus rescivit, † iniquitatem attentati civibus & Senatui demonstrabat. Illi se fideles Sedis Moguntinæ, † sanctique Patroni sui Martini subditos, sine Archiepiscopi assensu nihil concessuros, nec à vero & hereditario Domino Electore, & Sede separari se passuros rescribunt. Insuper ut Archiepiscopus lites cum Principibus Saxonis pro suis haberet, humiliter rogant. Sed in delatorem ipsum, qui Reip. arcanum Moguntino prodidisset, inquisitum. Cecidit suspicio in Doctorem de Margaritis, ex vetustâ & nobili hujus nominis familiâ oriundum. Hic captivati traditur, dein ad Universitatis instantiam præstitâ cautione dimissus, variatâ Civitatis inclinatione

Mogun-

Nutare incipiunt Erfurtenses.

A Domino reprehenduntur.

Eorum fucata excusatio.